

41  
L  
B



*Disputatio Iuridica,*

D E

**LIBERIS PRÆ-  
TERITIS VEL EXHÆ-  
REDATIS EX TIT. XXVIII.**

Libri VI. Cod. in certas Theses  
coniecta;

**QV AS DIVINO FA-  
VENTE NUMINE, SVB PRÆ-**

*sidio Nobilis, clarissimi ac consultissimi viri, Do-  
mini HENRICI CANISII Nouiomagi, I. V. D.  
& in inclyta & Catholica INGOLSTADIENSI*

*Academia S. S. Canonum Professoris ordina-  
rii, nec non Ducalis Bauar. Consi-  
liarij, in eiusdem Col-  
legio*

DEFENDET

**IOANNES SCHNEPFF,  
SVLTZBACENSIS PALA-  
TINVS.**

*Die 2. Mensis Decembris.*

INGOLSTADII, Ex Officina WOLFGAN-  
GI EDERI. Anno M. D. XCIII.



**ADMODVM**  
**REVERENDO IN CHRIS-**  
**TO, NOBILI ET MAGNIFICO**  
*viro, Domino IACOBO MÜLLERO,*  
*SS. Theologiae Doctore, Episcopatus*  
*RATISBONENSIS Administratori &*  
*Vicario Apostolico: Cathedralis*  
*Ecclesiae ibidem Praeposito, Archidia-*  
*cono & Capellano Imperiali, necnon*  
*Vratislaviensis Canonico dignissi-*  
*mo, &c. Domino ac Patrono suo ob-*  
*servandissimo.*

Assertiones haec Iuridicas debite  
 observantiae gratique animi er-  
 go dicat & offert,

IOANNES SCHNEPFF,  
 l. V. Studiosus.

I

*Theses Iuridicae,*  
**DE LIBERIS PRÆ-**  
**TERITIS VEL EXHÆRE-**  
**DATIS EX TIT. XXVIII.**  
 Libri VI. Cod.  
**THESIS PRIMA.**

**Q**UONIAM hæreditas paterna non tantum  
 iure civili, *a* sed & naturali & diuino iure  
*b* liberis debeatur: rectè legum condito-  
 ribus visum fuit, vt præter alia iuris solen-  
 nia, liberi, qui in potestate parètum essent,  
 hæredes vel instituerentur, vel nominatim exhæredaren-  
 tur: alioqui inutile fore parentum testamentum. *c*

*a* l. penul. & passim tota tit. C. de sus & legit. & in Nouella Iustin. de hæ-  
 red. ab intest. ven. & rit. Institut. de hæred. quæ ab intest. defer. *b* l. ult. ff.  
 de bon. dam. l. Scripto. ff. unde liberi. Cap. Ius naturale. 1. distinct. Gen. 17. *c*  
 rit. Iust. de exhæ. lib. in princ. l. Inter. ff. de lib. & posth. & l. 2. ff. de iniusto r-  
 pro & irrito facto testamento.

II.

QUOD in liberis vtriusque sexus cuiuscunque gradus, ob-  
 tiner: adeo vt etsi viuo patre filius moriatur, nemo tamen  
 hæres ex eo testamento existere possit, licet olim aliter quo-  
 ad filias & ex ijs descendentes, obseruaretur. *a*

*a* d. rit. Inst. de exhæ. lib. circa priuc. & l. Maximum. C. h. rit.

III.

IDEM de posthumo vtriusque sexus dicitur, vt & huius  
 præteri-

præteritione testamentum rumpatur, siue superstes maneat, siue statim edito partu è medio tollatur, siue alia ratione viuo adhuc testatore post testamētum moriatur. Quod atinet ad iuris subtilitatem. *a* Nam ex æquitate Prætoris huiusmodi testamentum sustinetur, & ex eo bonorum possessio secundum tabulas petitur. Quod & circa iniustum & irritum testamētum obseruatur, si bonorum possessio ei delata fuerit, qui rem ab intestato auferre potest. *b*

*a* §. Posthumi. Inst. de exher. lib. toto tit. C. de posth. hered. *b* l. Posth. mus. 12. ff. de iniusto rupto, &c.

## IV.

ID QVÈ verum est in posthumo, qui viuis natus est, & neque in monstrum degenerat. *b* Partum vero immaturum, id est, ante septimum mensem viuum editum, aut qui octauo mense natus est, cum superstes manere non possit, vulgò existimatum est, *c* testamentum non rumpere. Sed malè nostra sententia, *d* licet & his casibus bonorum possessio peti possit. *e*

*a* d. §. Posthumi. versic. Ideoque. Ratio est in l. Qui mortui. ff. de verb. sign. *b* l. 3. C. de posth. hered. Ratio est in l. Non sunt liberi. ff. de statu hom. *c* apud Iulium Clarum in §. Testamentum. q. 45. versic. sed quid si cum seq. *d* per text. in l. 2. C. de posth. her. *e* Secundum Thesis præcedentem.

## V.

F A C T A autem institutio vel exhereditatio posthumi ad omnem posthumum trahitur, etiã ex alia vxore postea natum. Vnde qui posthumum hæredem instituit, si post testamentum factum mortua vxore, ad secundas nuptias transierit, is & institutus videbitur, qui ex posterioribus nuptiis natus erit. *a*

*a* l. placet. cum l. seq. ff. de lib. & posth.

## VI.

S I tamen appellatio posthumi simpliciter à testatore facta fuerit. Nam si testator ad posthumum certum se restrinxerit, vt v. g. qui vnquam ex hac vxore posthumus nascetur, cum

eum hæredem instituo vel exheredo, ad alium non protrahetur: vt certa sit testatoris dispositio. *a*

*a* Bart. in d. l. Placet. l. non aliter ff. de leg. 3.

## VII.

ET hæc non minus ad liberos legitimos tantum, hoc est ad adoptiuos pertinet, dummodo in potestatem adoptiui patris transierint. *a* Nec non ad naturales transferuntur, qui aut per matrimonium subsequens, aut per Rescriptum Principis legitimi effecti sunt. *b*

*a* l. i. ff. de bon. poss. contra tab. l. penul. C. de adop. §. sed hæc quidem in fine. Inst. de exher. lib. Tradit Ias. in Rubr. ff. de lib. & posth. in secunda colum.

*b* §. Igitur ibi nihil à veris legitimis differentes. in Auth. Quib. mod. naturales efficitur legit. Cap. Tanta vis. Qui fil. sint legit. Couar. 4. Decretal. 2. parte cap. 8. §. 2. num. 2. & 26. Et ita concludunt communiter DD. Alex. & Ias. in Rubr. ff. de lib. & posth.

## VIII.

N E QVÈ interest, ante testamentum siue post (ante tamen mortem patris) legitimati sint. Cum priori casu præteriti dicant testamentum nullum, posteriori, per agnationem testamentum rumpant. *a*

*a* Bald. in l. Certum. ff. de iniusto rupto. Ias. in Rubr. ff. de lib. & posth. num. 3. & seqq. Legitimati enim sui efficiuntur. vt per Bald. in addition. ad speculatorem tit. de success. ab intest. versic. Item an præteritus.

## IX.

A T QVÈ hæc de liberis, qui in sacris parentum sunt, aut nati futuri erant, rectè dicuntur. Nam in liberis emancipatis & materni generis, alio iure antiqui, alio nos vtimur. Hos enim veteres impunè præteribant: tamen si emancipatis bonorum possessionem contra tabulas darent, & cæteris liberis contra matris testamentum querelam in officiosi. *a* Nos vero & in his expressam exheredationem vel institutionem requirimus. *b*

*a* §. Emancipatos. & §. Mater. Inst. de exher. lib. *b* §. Sed hæc quidem. Inst. d. tit. Et l. Maximum vitium. C. de lib. præter. §. Aliud quoque Capitulum. Nouella vt cum de appellat. cognosc.

## X.

Ubi & alterum discrimen obseruandum est antiqui & hodierni iuris, quod iure Digestorum, Codicis & Institutionum, sufficiebat, liberos exheredes scribi, etiam non adiecta causa; *a* licet hoc casu, liberis inofficiosi querela competeret. *b* Iure vero Nouellarum, certa & iusta exheredationis causa necessario & expressè exigitur. *c*

*a* Ut passim videre est sub tit. de lib. præter. in ff. & in C. Et tit. de exher. lib. in Institur. *b* toto tit. ff. C. & Inst. de inoffic. test. *c* ut in d. Nouell. ut cum de appellat. §. Aliud quoque Capitulum.

## XI.

Quoniam vero plurimum refert, quibus casibus præteritus vel exheredatus possit testamentum dicere nullum, quibus item querelæ inofficiosi locus sit: (Siquidem hæc certo tempore à iure circumscripta est, cum ultra quinquenium à die aditæ hæreditatis intentari nequeat, *a* potestas autem dicendi nullum, cum sit remedium ex iure civili proueniens, durat 30. annos *b*) idcirco doctrinæ causa casus aliquot distinguendi erunt.

*a* l. si quis filium. in fine. C. de inoffic. test. *b* per text. in l. sicut. Et l. omnes. C. de præscript. 30. vel 40. an.

## XII.

Et quidem, si præteritus sit filius, dubium non est, quin testamentum sit ipso iure nullum, *a* nisi miles in expeditione occupatus faciat testamentum, in eoque liberos suos iam natos vel posthumos sciens prætereat: Quia præteritio eius pro exheredatione habetur. *b*

*a* Tit. Instit. de exher. lib. in princ. l. inter cetera. ff. de lib. & posth. l. i. ff. de iniusto rupto. *b* §. Sed si in expeditione. Inst. d. tit. l. sicut certis. C. de test. mil. l. Militis. §. Miles in supremu. ff. eo.

## XIII.

Quod an hodie absque expressione iustæ causæ fieri possit

fit à milite, non parum addubatur. Sed nos verius existimamus posse, non obstante generalitate textus Iustinianei, *a* etiam si contrarium defendi possit. *b*

*a* In d. §. Aliud quoque Capitulum. Facit quod cum de iure antiquo liberis absque iusta causa exheredatus consultum erat per querelam inofficiosi, contra militis tamen testamentum inofficiosi querela non daretur. l. De inofficioso. & l. ult. C. de inoffic. testam. *b* Propter rationem quam subiicit ibidem Iustinianus in §. Hæc autem disposuimus.

## XIV.

SIN vero exheredatus filius sit, tunc aut nulla est inserta causa, Et similiter testamentum nullum est, neque opus est querela ad rescindendam. Siquidem exheredatio inscriptionem causæ necessario exigit. *a* Aut quidem inserta est causa, sed non sufficiens siue legitima. Quo etiam casu testamentum est nullum. Paria enim sunt, quid non fieri, & minus legitimè fieri. *b* Aut denique inserta est iusta & legitima causa. Et hac specie locus est querelæ, ita ut si causa nitatur veritate, & per hæredem institutum approberur, exheredatio & testamentum subsistant, repulso filio. Sin falsò adiecta sit, vel aliàs ab hærede instituto non comprobata, testamentum per querelam inofficiosi dissoluatur. *c*

*a* Auth. Non licet. C. de lib. præter. Et in Nouella ut cum de appellat. §. siue igitur omnes. *b* l. Quoties ff. qui satid. cog. l. Non putauit. §. Non quous. ff. de bon. poss. cont. tab. *c* d. §. siue igitur. Vide Bart. in l. Filio præterito. num. 18. ff. de iniusto rupto. Et in l. i. num. 5. ff. de testamentis. Iulius clarus de testamentis. quæst. 40.

## XV.

DEFICIENTIS verò testamenti hic effectus est, ut tota testatoris hæreditas in causam intestati incidat, & ei ab intestato succedatur, vel in totum, si testamentum ipso iure nullum, vel in totum rescissum sit, vel etiam in partem, si pro parte tantum. *a*

*a* per l. Circa. Et l. Nam & si parentibus. §. si. ff. de inoffic. testam. Et l. cum duobus. C. eo.

## XVI.

ILLUD summè controuersum est, an filius emancipatus præteritus siue exhæredatus, eodem modo, quo suus, reddat nullum patris testamentum? Sunt qui putant, emancipatum præteritum, non nisi per bonorum possessionem contra tabulas, testamentum patris rescindere: *a* exhæredatum verò litis agnoscendæ gratia, prius bonorum possessionem petere debere, ut ita ad querelam in officiosi deueniat. *b* Verum nos in præsentī causa, quemadmodum & in successione intestati, emancipatos suis exæquamus, ut sicut hi sine iusta causa præteriti aut exhæredati, dicunt patris testamentum nullum, ad 30. annos, si cum causa, ad quinquennium, per querelam in officiosi subuertunt; Ita & emancipati: cum hodiè per Iustinianum inter utrosque differentia sublata sit. *c*

*a* Ut in l. 1. et per totum ff. et C. de bon. poss. contra tab. *b* per text. in l. 2. C. de inoffic. testam. Authores refert Anto. Gomezius var. resolut. tomo 2. cap. II. num. 34. *c* Text. in §. sed hæc quidem verustas. Instr. de exher. lib. in §. Aliud quoque Capitulum. Nouella. ut cum de appellat. cognosc. Gomezius d. loco in §. sed hi non obstantibus.

## XVII.

SED & illud suis & emancipatis commune est, ut præter ius dicendi nullum testamentum, bonorum possessionem habeant contra tabulas parentis, *a* licet in eo differentia quibusdam versetur, quod sui testamentum nullum dicant, id est (ut explicatius loquamur) petant à iudice, testamentum declarari nullum, emancipati vero rumpant per bonorum possessionem contra tabulas. *b* Verum & in hoc differentiam tolli & æqualitatem seruari volumus. *c*

*a* l. Posthumonaro. C. de bon. poss. contra tab. l. Maximum vitium. vers. Sancimus itaque. C. de lib. prat. l. Is qui in potestate ff. de legat. præst. *b* Vide Castrensem ad l. si filius qui in potestate ff. de lib. et posth. et Anto. Gomezium d. loco num. 5. *c* argumento superiorū Theses 16.

## XVIII. IVSTÆ

## XVIII.

IVSTÆ autem exhæredationis causæ quatuordecim recensetur à Iustin. Imperat. *a* quibus alias ob similem vel maiorem rationem adijci posse, non videmus. *b*

*a* In d. Nouella. ut cum de appellat. §. Aliud quoque Capitulum. *b* cum contineant omnes vel saltem ad expressus reuocentur.

## XIX.

SED quod ad inofficiosi querelam attinet, ea non tantum competit liberis contra testamentum parentum, sed & parentibus cōtra testamentum liberorum, ea specie, quæ inserta legitima causa à liberis exhæredantur. *a*

*a* Eadem enim hic repetenda sunt, quæ supra diximus Thesi 12. et 14. Cause autem ingratitudinis in personis parentum, septem enumerantur in §. Sanctissima que non licere liberis. d. Neuell. ut cum de appellat.

## XX.

COLLATERALIBUS verò, hoc est, ex latere venientibus cognatis, non permittitur querela, exceptis fratribus & sororibus ex utroque parente, vel saltem ex patre, defuncto coniunctis, qui turpibus personis institutis præferuntur: *a* nisi fortè & hi infamiæ vel turpitudinis nota laborent. Quo casu ad querelam non admittuntur. Siquidem nemo potest mores, quos in se approbat, in alio reprehendere. *b*

*a* §. Soror. Instit. d. tit. de exher. lib. l. Fratris. et. l. Fratres. C. eo. l. i. ff. eo. tit. *b* l. In arenam. C. eo. gl. in d. l. Fratres. verbo infamiæ. C. ed. Additio ad Bart. in d. l. Fratres.

## XXI.

CÆTERVM ad excludendam quærelam in officiosi sufficiet, aliquid testamento relictum esse. *a* Si enim legitima (quæ secundum Ius Authenticarum, in quatuor liberis vel paucioribus est tertia bonorum pars, in pluribus dimi-

B

dia,

dia, æqualiter, videlicet, inter illos dividenda) aut minus legitima relictum fuerit, querela cessat, sed posteriori casu ad supplementum agitur. *c*

*a* §. Sed hæc ita. *Instit. de inoffic. testam.* *b* *Auth. Nouissima. C. de inoffic. testam.* *c* §. Igitur quartam. *Et §. sin vero quantacunque. Instit. d. tit. de inoffic. test. Et Nouella ut cum de appellat. §. Hæc autem disposuimus.*

## XXII.

Et licet iure antiquiori, ad excludendam querelam sufficiebat, quoquo modo relinqui legitimam, siue titulo legati, donationis aut simili: *a* Nouissimo tamen Iustiniano iure, non nisi institutionis titulo relinqui eam necesse est, vsque adeò etiam si amplius sit in legato vel simili iuris titulo relicto, quam fert ipsa legitima: Nihilo enim magis testamentum subsistet. *b*

*a* *d. §. Igitur quartam. Et d. Auth. Nouissima.* *b* *§. Aliud quoque. Et §. siue igitur. in Nouell. ut cum de appell. cognosc. Iul. clarus de testament. quest. 78.*

## XXIII.

Id quæ favore liberorum introductum fuit, eò quod titulus institutionis multo honoratior sit, ac etiam vtilior liberis, propter ius accrescendi, quod in titulo singulari locum non habet. *a*

*a* *Barr. in l. ex facto 35. n. 3. ff. de her. inst. Ias. et alij in l. Quoties. C. eo. Iul. Clarus de testamentu q. 38.*

## XXIV.

Et hinc accidit, quod & institutionis titulo renunciari possit à liberis, si parentibus exhæredantibus siue præterentibus assentiant, *a* licet alioqui futuræ successionis renunciatio nullius momenti sit. *b*

*a* *Text. in l. non putauit. §. si quis sua manu ff. de bon. poss. cont. tab. b* *l. pater. C. de collat. l. pater quod dotali. C. de pat. l. qui superstiti. ff. de acquir. her. Ed. l. stipulatio hoc modo concepta. ff. de verb. oblig. Vide Anton. Gomez. *Sum. var. resolut. tom. 2. capit. 11. num. 14.**

## XXV. NAM

## XXV.

NAM & liberi testamentum patris iniustum, propter non legitimè factam ex hæredationem vel præteritionem, comprobare possunt: adco vt & hæreditas & legata ex eo peti possint. *a*

*a* *l. Filio præterito. ff. de iniusto rupto. l. si quando. §. Et generaliter. C. de inoff. testamen.*

## XXVI.

Hic incidunt aliquot quæstiones: Vna an legitima à parentibus, adiecta conditione, dilatione, vel alio quouis modo grauari possit? Et certum, est non posse. *a*

*a* *Per text. in l. quoniam in prioribus. C. de inoff. test.*

## XXVII.

QVO CIRCA si pater filium hæredem instituat, eumque grauet fideicommissio, vt si sine liberis decesserit, alteri restituat hereditatem suam, graua men à legitima reijcitur, reliqua autem bona fideicommissio subiecta sunt. *a*

*a* *per d. l. quoniam in prioribus. Et l. si quando. §. et generaliter. C. de inoff. testamen.*

## XXVIII.

Idem probandum est in filio instituto quidem à patre in omnibus bonis, sed detracto vsufructu pro vxore aut alio extraneo. Quia & hoc casu vsufructus quoad legitimam non subsistet, sed in cæteris tantum bonis effectum habet. *a*

*a* *d. l. in iuribus.*

## XXIX.

ALTERA quæstio est si pater hæredem extraneum instituat, adiecto onere fideicommissi, vt post mortem suam vel post certum tempus, totam hæreditatem filio testatoris restituar, an valeat hæc institutio? Quod negamus, cum hac

specie filius neque institutus sit neque exheredatus. *a*

*a* iuxta Thefm. 1. & 9.

## XXX.

TERTIA quæstio est, Si filius in legitima grauatus, substitutum habeat vel cohæredem, & is legitimam repudiet, vtrum onus quoq; ad substitutū vel cohæredem transeat? Et transire verius est, cum mutata persona, non censeatur amplius legitima, sed idem cum reliquis bonis patrimonium. *a*

*a* per rer. in l. cum patronus. ff. de legat. 2. iuncta l. vn. §. pro secundo. Et §. si autem aliquid. C. de caduc. toll.

## XXXI.

QUARTA quæstio. Cum conditio institutioni filij apposita reiiciatur à legitima, quid censendum sit de reliquis bonis? Existimamus, bona illa eueniente conditione ipsi filio accidere. Deficiente vero, ad substitutum, si quem habet, pertinere. Sin non habet, sibi & cohæredi pro parte accrescere. *a*

*a* per text. in l. Si resolum. Et in l. Si quis ita scripserit. Et in l. Liber homo §. Titium ex semisse. & §. seq. ff. de her. inst.

## XXXII.

PORRÒ quod antea dictum est, testamentum ob præteritionem vel exheredationem filij, vel ipso iure non subsistere, vel per querelam dissolui, id iure recentiori, ad hæredis institutionem tantum restringitur, vt scilicet quoad institutionem irritum quidem sit testamentum, cætera vero in eo disposita firma censeantur. *a*

*a* Auth. Ex causa. C. de lib. præter. Nouel. vt cum de appellat. §. sine igitur omnes.

## XXXIII.

VERVM hic contenditur, cum huiusmodi testamentum quoad

quoad institutionem, sit irritum, vtrum substitutiones in eodem testamento factæ subsistant? Et quidem si de vulgari substitutione sermo sit, conuenit inter DD. eam minimè subsistere; cum & per eam impediretur filius, quo minus possit ab intestato patri succedere. Sin de substitutione pupillari, quandoquidem eanon obstat, quo minus filius patri defuncto ab intestato succedat, licet eueniente casu substitutionis, admittatur substitutus: communiter DD. fatentur, talem substitutionem pupillarem valere. *a*

*a* Ita Bart. Alex. & alij in l. i. §. vlt. num. 3. ff. de vulg. & pupill. Et idem Bart. in d. Auth. Ex causa. num. 16. Iulius Clarus de testamentis. quest. 54.

## XXXIV.

QVOD & in fideicommissaria substitutione rectè probat Bart. *a*

*a* Ad d. Auth. Ex causa. num. 16.

## XXXV.

SED quid delegatis ipsi filio exheredato vel præterito relictis? Doctorum sententia est, ea vnà cum ipsa institutione corruere. *a*

*a* Ita docet Bart. in d. Auth. Ex causa. nu. 19. Alex. & alij communiter ibid. Iul. Clarus iam citato loco.

## XXXVI.

VBÌ autem duo testamenta condita sunt, vnum solenne & omnibus numeris absolutum, alterum imperfectum, propter iustam exheredationem vel præteritionem omisam, posterius testamentum vnà cum omnibus in eo contentis concidit. Quippe testamentum solenne & validum, non tollitur per posterius minus perfectum & validum. *a*

*a* Text. in §. Posteriore. & ibi Aret. & alij. Inst. Quib. mod. testa. infr.

## XXXVII.

NI SI in secundo testamento adiecta esset clausula codi-

cillaris, quæ hoc operatur, vt si testamentum valere non possit vt testamentum, valeat saltem in vim codicillorum. Ex quo sequitur, vt hæres institutus in primo testamento, teneatur præstare legatæ relicta in secundo testamento, vti teneretur, si codicilli facti essent. *a*

*a* Alex. in d. Auth. Ex causa. colu. fin. in d. 5. Non tantum. Inst. de codicill.

## XXXVIII.

QVÆ clausula, etiam vno solo testamento condito, & ex causa præteritionis vel exheredationis irrito, hanc vim habet, vt filius præteritus vel exheredatus, hæredi scripto in testamento, hæreditatem nomine fideicommissi (detracta tamen legitima) restituere teneatur. *a*

*a* Bart. in d. Auth. Ex causa. num. 23. & ibi DD. communiter. Et idem Bart. in l. 1. num. 9. ff. de iu. codicill. Iul. Clarus de testamentis. quæst. 46.

## XXXIX.

QVI D autem si posthumus à testatore fuerit præteritus, vtrum clausula codicillaris testamento adiecta efficiat, vt testamentum, quod per natiuitatem posthumi rumpitur, valeat in vim codicillorum? Et quidem si pater sciens se habere posthumum, illum præterierit, communis DD. sententia est, per clausulam codicillarem testamento appositam, teneri posthumum, qui nascendo illud rumpit, hereditatē (detracta quoq; legitima) hæredi scripto restituere. *a*

*a* Bart. in d. Auth. Ex causa. num. 24. & 25. Et in d. l. 1. ff. de iu. codicill. num. 10. DD. communiter, in d. Auth.

## XL.

SI NVXOREM prænantem ignorauerit, atque sic imprudens posthumum præterierit, maior addubitatio est, an à posthumo, virtute eiusdem clausulæ, hæreditas restituenda sit? Sunt qui affirmantem partem, alij negantem tueantur.

tur. Nos vero vtriusque partis rationibus consideratis & excussis, negatiuam sententiam vt veriolem amplectimur. *a*

*a* Et hanc sententiam tenet Bart. in d. l. 1. num. 10. ff. de iu. codicill. Ias. d. Auth. Ex causa. num. 4. & 24. Franciscus Aret. consil. vlti. Adde Andr. Geil. lib. 2. obseruat. 114. Iul. clarus de testamentis. q. 46.

## XLI.

ILLVD enim generaliter probamus, Authenticæ Ex causa. C. de lib. præ. locum non esse, vbi filius ab inscio patre vel matre in testamento præteritus est. *a*

*a* Per text. in l. Vxor. ff. de manu. testa. Geil. d. obseruat. num. 2. licet fortissimè obstat l. cum mater. ff. de inoffic. test.

## XLII.

POSTREMÒ nihil interest, quibus verbis quis exheredetur aut etiam præteratur, modò id fiat cum insertione legitimæ causæ. *a*

*a* l. 3. C. de lib. præ. Et Auth. Non licet. C. eodem tit.




## P A R E R G A.

## I.

**S**TATVTVM seu pactum de lucranda dote vel eius parte, non extantibus liberis, habet etiam locum in desponsata per verba de presenti, necdum traducta ad domum mariti, vel ab eo cognita.

## II.

Dote non constituta, non censetur bona vxoris in dotem cõcessa, Ideoque etiam constante matrimonio, quandounque ea ab vxore vindicari & alienari possunt.



Hæ theses typis excudi & ad disputationem proponi meritò possunt.

MICHAEL EISELIN, Theologici Collegij hoc tempore Decanus.